

7.

Botanico Eximio DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.  
Linnaeus Equ.

Datas a Te vir amicissime d. 22. Januarii rite accepi. Delineationes Tuae florum adeo pulchrae sunt, ut eos coram intueri mihi videar, adeoque facilius de his concludo.


*Robinsonia* mihi videtur esse *Gentianae* s. *Centaurii* minoris species, caule simplicissimo, subaphyllo.

*Halesia* Tua a mea Guettarda longe diversissima est, et videtur novi generis planta.

479. *Ayenia*, nisi me omnia fallant est *Ayeniae* species mea ex *Loeslingianis*, nec nostra in hortis vulgarissima. Difficile in hoc genere partes fructificationis dignoscuntur, at pelta s. stella in nostrate, non esse nisi ipsa petala patet, dum stella leviter premitur, tum enim dissilit in 5 petala cordata, unguibus suis insidentia, perfecte ut in vulgarissimis floribus, ut dubium esse nequeat de petalis.

*Hapalanthus* pulcherrimum nomen, distinctissimum genus a *Commelina*, licet proxime a *Commelina* collocandum, certissimum est.

*Aralia* Tua nequit fortē esse *Brownii*; *Brownii* enim planta, quam possideo, habet absolute quinque stylos, sed valde approximatos, in fructu superstitēs et saepe discedentes. Folia minime dentata sunt, sed integerrima. Involucrum umbellae universalis constat squamis acutis, et loco involucri partialis tophus crassiusculus est, pedunculi ultimi satis angusti sunt. Quidquid sit tuam esse eandem cum mea *Brownii* et *Plumieriana* facillime crederem. Observes attente in Tuo specimine a latere superiore umbellae radiorum universalis, et forte reperias glandulas obsoletas.



221. Licet flos neque sit serratus, nec capsula basi